Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36523
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



179

ibi gladio capite sunt amputati. Beatissima autem lucina cum hoc uideret: seque
batur eos cum familia sua. usque dum peruenirent iuxta formam aque ductus. ubi
eciam et decollati sunt. corpora uero eorum relicta sunt truncata a canibus deuoran
da. Tunc sancta lucina cum familia sua collegit corpora eorum et condiuit cum aroma
tibus preciosis sepeliuntque in predio suo in arenario iuxta locum ubi decollati sunt.
subdiuo vi non. Iul. via aurelia ubi nunc prestantur beneficia eorum usque in hodiernum
diem. regnante domino deo atque saluatori nostro ihesu xpo. qui uiuit et regnat in unitate spiritus
sancti deus per s. s. amen. Passio Sci Procopii Mris.

SCE RECORDATIONIS MAGNO ET CLARISSIMO IMPE
ratore constantino sub quo fides catholica pullularat uiam uniuerse car
nis ingresso adtemptandos dei seruos ut sic aurum tamquam purgatum ful
gerent in dei domo. iulianus ut uere patuit lupus et diaboli filius regno
suscepto. quales uictimas sancto cruore delibutas in nomine ihesu celo miserit.
si centum ora uel tot uoces quas mortalium habeat. nequaquam explanare poterit.
In ingressu igitur iuliani antiochia occursum ire mouet tota. et audire que noua
nouus imperator daret precepta. postera die sedente pro tribunali rege iu
liano. cunctis audientibus edictum uolat in populo. ut quisque xpi sectam cole
ret. ante regem et eius magistratus notum faceret. Tunc unus apollinem uel mer
curium. alius alium sibi profitebatur deum. et a quo deceptus quisque erat. ipsum et iam
et colebat. Pars post hoc xpiana xpm diligens ante omnia ipsum nominat.
pro ipso mori desiderat. ab ipso quandoque premia se recepturam demonstrat.
Ad hec turbido uultu horrendum stridens iulianus. hec responsa dedit.
Quid inuanum laboratis. Xpc si esset deus. uerbera non tulisset. sputa non suscepisset.
et crucem aufugeret. mortem non subiret. et quia ipse passus est. uos pro ipso
morientes. quomodo adiuuare potest. Iam iam ab hoc desistite. deos quibus
omnis iuuamur adorate. Si uero displicet cordi. carcerem initium torquendi
sine mora introducemini. Abnuunt dictum iusti. perficiunt promissa
regis iniusti. Dum hec moliuntur in amphiteatro. uidua quedam opibus et
genere ceteras precellens discipia nomine. pulchrum in comitatu suo habens
filium aduenientem. dona ferens regio more. Quam iulianus ut uidit. circa se
residentes perscrutatus. que uel unde esset. agnouit cresauria uidelicet
urbe. et ipsam metropolim in partibus palestine prouincie. Ad quam rex.
Quid est inquit mulier peticionis tue. At illa ut est mos feminarum. placi
do uultu respondit. Mortuus est uir meus precessoribus tuis ut multis no
tum est in palestina dux carior omnibus. filio meo relicto que cernis paruulo.
ideo in angustiis et penuria fuimus usque modo. et nisi uestra celsitudo propicia
sit in miserando. uita priuabimur omnino. Per munera talesque querelas
bene circumspectum iuuenem rex miserescit. mox cuius secte esset interrogatur.
sed quia fuit idolatrie eiusdem. paternam recipit dignitatem. atque ad procurandum